



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 546. Jubilæi nomen & initium unde, in quo differat ab indulgentia plenaria, & qualiter definiendum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

n. 19. Cordub. L. 5. q. 35. Suar. d. 57. S. 1. n. 4. Sa. v. indulg. n. 7. Bonac. l. c. n. 32. si verò concedatur cum limitatione brevis temporis, uti solet concedi in festo alienius Sancti, vel per ejus octavam, semel tantum obtineri poterit, quia illa temporis determinatio indicat intentionem Pontificis esse tantum unius indulgentiæ lucrationem; D. Thom. in addit. q. 35. a. 2. ad 4. Tolet. L. 6. c. 28. ad finem. Castrop. l. c. n. 16. Nav. Suar. Sa. ll. cit.

*Quæst. 544. Num, qui opus injunctum exequitur tepidè seu remissè, vel ex aliqua circumstantia vitiatum, minus consequatur indulgentiæ, quam qui illud exequitur omnino honestè & ferventer?*

**R**Esp. sub distinctione; si non complet sufficientiam causa finalis, quia requirebatur opus honestè & ferventer factum, eo casu opus remissè executus non consequitur integram indulgentiam, secus est, si opus etiam tepidè factum finalem causam indulgentiæ concessæ complet (uti necessariò præsumendum, dum Pontifex indulgentiam absolutè concedit præstito simpliciter injuncto opere, cum Pontifex credat per opus injunctum, quomodocunque fiat, sufficientiam causæ finalis concessionis compleri, ne aliàs nullæ indulgentiæ moraliter certæ essent) tunc enim ob majorem vel minorem devotionem in executione operis exercitam nec major nec minor indulgentia obtinetur, sed semper æqualis, quia indulgentia non nititur devotione operis, sed legitimâ causâ liberalis donationis, ita ut effectum habeat solum ex voluntate donantis, ex postulantis qualemcunque executionem operis. ita Suar. d. 52. S. 8. à n. 3. Filliuc. tr. 8. c. 6. q. 14. n. 164. Grafis. de indulg. c. 5. n. 60. & alii quos citat & sequitur Castrop. n. 19. Neque his obstat, quòd in Extrav. antiquorum. de penit. & remiss. ait Bonifacius, postquam concessisset indulgentiam plenissimam visitantibus limina Apostolorum: *Unusquisque tamen plus merebitur & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicam ipsas amplius & devotius visitaverit.* quia id intelligendum, quantum est ex se ex opere injuncto.

*Quæst. 545. An dum indulgentia concessa iis, qui contriti & confessi Ecclesiam aliquam visitaverint, requiratur confessio actualis?*

**R**Esp. in hoc casu necessariò præmittenda non est confessio actualis ei, qui se nullo peccato mortali gravatum sentit, quia credendum non est, Pontificem verbis ita generalibus & communibus voluisse imponere lucrato indulgentias onus illud confessionis liberæ, unde si confessio absolutè expostulata, intelligi debet de obice ad indulgentiam supposito, Suar. l. c. S. 3. n. 5. Laym. L. 5. Sum. tr. 7. c. 6. du. 5. concl. 1. Castrop. l. c. n. 20. Bonac. de indulg. q. 1. p. 5. n. 7. referens alios. Necessariam tamen esse confessionem actualem, dum ea possibilis est (stante enim impossibilitate confessionis præsumi potest Papa nolle fidelem contritum privari indulgentiâ, ut Sa & Laym. ll. cit.) & non sufficere solam contritionem in voto, seu contritionem in eo, qui sibi conscius peccati non confessi consultiùs & securiùs esse asserunt Durand. in 4. dist. 20. q. 4. Navar. not. 18. Cajet. opusc. de indulg. c. 10. Cöninch. d. 12. du. 7. n. 38. Laym. l. c. Castrop. n. 21. & alii, eò quòd Papa postulet contritionem & confessionem, idque ideo, quod, licet

contritio perfecta tollat obicem peccati, sit tamen difficilis & incerta, & ut effectus indulgentiæ sit securior; ita Castrop. l. c. qui etsi fateatur sic consulendum fidelibus, ait tamen cum Suar. d. 50. S. 5. n. 10. Filliuc. l. c. n. 148. probabilissimum esse, ex dictis verbis non requiri confessionem, eò quòd Papa dictis verbis non videatur aliam diligentiam expostulare, quam quæ necessaria est, ut thesaurus ille Ecclesiæ applicari possit fidelibus, quòd fieri potest, si verè penitentiam agant, aut tametsi confessi non sint; quin inòd nomine contritionis venire quoque attritionem ait idem, apud quem vide plures hujus declarationes & limitationes.

*Quæst. 546. Jubilæi nomen & initium unde, in quo differat ab indulgentia plenaria, & qualiter definiendum?*

**1.** **R**Esp. ad primum: Jubilæi nomen ab Hebræo nomine Jobolæus, quod Hebræis annus quinquagesimus remissionis, utpote quo servi donabantur libertate, relaxabantur delicta, prædia vendita ad antiquos possessores & exules in patriam, pristinamque libertatem revertebantur, significabat, ut constat ex num. ult. & Levit. 15. translatum est ad tempus gratiæ significandum.

**2.** **R**esp. ad secundum: Jubilæi usus etsi antiquissimus, extendaturque ab aliquibus ad tempora Apostolorum; à quo tamen Pontifice primò authenticè & in scriptis concessus, incertum est. Jubilæum Romanum centesimo quovis anno concessit Bonifac. VIII. Extrav. antiquorum. de penit. & remiss. Clem. VI. Extrav. unigenitus. eod. reduxit ad annum quinquagesimum. Sixtus IV. Extrav. quemadmodum tit. eod. ad annum 25. quòd ulque huc confirmarunt sequentes Pontifices, & in specie Gregor. XIII. in constit. Sua. 10. quæ incipit: *Dominus ac redemptor noster*, quam latè expendit Nav. notab. 31. & seq. de quibus vide Castrop. tr. 24. d. unic. p. 12. à n. 1.

**3.** **R**esp. ad tertium: differt Jubilæum ab indulgentia plenaria, quòd ultra hanc contineat facultates aliquas, v. g. potestatem absolvendì ab omnibus casibus seu peccatis & censuris reservatis, etiam ordinario & ipsi Papæ, modò absolvendus non sit excommunicatus à Judice, vel non excommunicatus, suspensus, interdictus, publicè & nominatim denunciatus, vel casus reservatus in Bulla cenzæ; ab his enim nisi in Bulla exprimantur, absolvendì potestatem non competere confessario affirmat cum pluribus Gobat. num. 247. quamvis hujus contrarium cum pluribus teneat Castrop. cit. p. 12. §. 2. n. 9. quem vide. Item potestatem vota quæcunque etiam juramento firmata, in alia etiam aliquando minoris valoris quàm actio voto promissa, exceptis votis castitatis perfectæ & religionis, uti & iis, quorum commutatio cedit in præjudicium tertii, à quo votum utpote cadens in ejus favorem, est acceptatum, cum potestas relaxandi tale votum in concessione generali non veniat, sed tacitè excepta intelligatur, Suar. de voto c. 15. n. 10. Gobat. num. 290. circa quam absolutionem, à reservatis & votorum commutationem lucrandi jubilæi causâ concessam plura dubia eruditè resoluta vide apud Castrop. tr. 24. de unis. p. 12. §. 3. à n. 5. per plures numeros sequentes.

**4.** **R**esp. ad quartum: jubilæum definiti potest, quòd sit indulgentia plenaria à Summo Pontifice (utpote qui solus indulgentiam plenariam cæterisque favores in jubilæo expressos concedere potest.

c. cum ex eo. & c. dilectus de temp. ordinat. ibique Gl. v. permiffa. & Abb. n. 3. Sanctarel. de jubile. c. 3. du. 2.) concessa fidelibus visitantibus certas ecclesias & certa pia opera peragentibus, de quibus fit

*Quæst. 547. Quenam in specie opera præscripta sint volentibus lucrari indulgentias.*

1. **R** Esp. primò in genere; Opera in jubileo præscripta in alia pia opera saltem aliunde indebita & æqualis cum præscriptis valoris commutari possunt per confessarium cum iis, qui claustris, perpetuo carcere, captivitate, infirmitate aliòve impedimento detinentur, ut opera in Bulla jubilei expressa vel eorum aliquod moraliter, hoc est, sine notabili aut magna difficultate peragere nequeant. Laym. l. 5. tr. 7. c. 8. num. 12. Gobat. n. 99. Wiestn. h. t. n. 179. in fine.

2. Resp. secundo in specie: Opera plerumque in Bullis jubilei præscripta sunt sex: Primum visitatio quatuor ecclesiarum, nimirum in urbe SS. Apostolorum Petri & Pauli, Basilicarum S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ majoris ecclesiarum, quæ à Romanis, intellige, non tantum civibus, sed & incolis quibuscunque Romæ per longum tempus, V. G. per annum degentibus per 30. dies continuos, vel interpolatos semel de die per forenses & peregrinos (esto origine sint Romani) ibi ad breve tempus commorantibus per 15. istiusmodi dies visitanda, Castrop. cit. p. 12. §. 1. n. 6. Gobat. num. 126. unde huic obligationi non satisfaceret, qui unam harum ecclesiarum aliquo die non visitaret, etsi eam alterâ die visitaret bis. Castrop. l. c. Nav. not. 32. n. 41. extra urbem verò quatuor quoque Ecclesiarum aut capellæ, vel pauciores, vel etiam una, si mens Papæ in Bulla expressa id patiat, ab Ordinario loci præscriptæ, ita tamen, ut si is plures, v. g. quinque vel sex præscriperit, non necessarid omnes visitanda, sed sufficiat tot obire, quot præscriptæ Romanis, eò quòd locorum Ordinarii conditionibus à Papa præscriptis alias addere non possint, ut Gobat. l. c. Wiestn. h. t. n. 184.

3. Secundum opus est oratio, intellige, vocalis quinque *pater & ave*, si totidem determinatè exigantur, vel etiam exigatur oratio per aliquod temporis spatium, si tamen omnino indeterminata præscripta oratio, sufficere orationem brevioris, etiam unius *pater & ave* existimant, Suar. de pœnit. d. 52. §. 8. n. 5. Gobat. n. 140. quamvis suadeant longiorem. Facienda autem ea oratio ad intentionem Papæ. V. G. pro exaltatione matris Ecclesiæ, pro extirpatione hæresum, concordia Principum Christianorum &c. Wiestn. num. 185. cum Dian. p. 1. tr. 11. resol. 33. & de Lugo de pœnitent. d. 27. n. 85. & alii, quos citat.

4. Tertium: Confessio secundum dicta tamen de hoc quæst. ante hanc pœnit. quibus addendum, quòd, si semel rite confessus, antequam cætera opera perficiat, labatur iterum in mortale, indulgentiam jubilei lucrari possit sine nova confessione, modo cætera opera præviâ contritione compleat in statu gratiæ, cum Bulla jubilei confessionem ad summum unam præscribat, Gobat. n. 157. Lugo num. 100.

5. Quartum: S. communio, quæ etsi in Bullis jubilei anni Sancti non exprimat, eam tamen ad consequendam indulgentiam illius necessariam esse, cum in cæteris jubileis necessaria esse credatur, supponit Filliuc. apud Gobat. n. 176. Unde qui ob periculum vomitus aliòve impedimentum Eucha-

ristiam sumere nequeunt sine ea in alia pia opera commutatione indulgentias non lucrari, idèoque pueros facilius ad communionem admittendos tempore jubilei quàm alio censet Laym. l. 5. tr. 4. c. 4. num. 3.

6. Quintum est jejunium tribus diebus, scilicet feriis quartâ, sexta & Sabbatho eodem modo, cum vel sine abstinentia à lactiniis obeundum pro aliorum ab Ecclesia præscriptorum jejuniorum observatione hoc vel illo loco à fidelibus exigì solet, observandum hoc jejunium etiam à pueris aliisque à jejunio ab Ecclesia præscripto quacunquè de causa excusatis, si indulgentias lucrari velint, licet infirmis, pauperibus, operariis, aliisque sine notabili difficultate vel detrimento jejunare non valentibus jejunium in alia opera pia æquipollentia commutari possit; Laym. l. c. c. 8. n. 12. Lezan. l. c. n. 12. Gobat. n. 210. Wiestn. &c.

7. Sextum est eleemolyna, sive præstatio alicujus ex septem operibus misericordiæ corporalis, hæc enim satisficit Bullæ jubilei præscribenti inter cæteras condiciones eleemolynam ex mente D. Tho. 2. 2. q. 32. a. 5. sufficit autem eleemolyna etiam minima, si simpliciter vel pro arbitrio vel prout singulis charitas suggererit, detur, Gobat. n. 219. allegatis Dianâ & Bonac. si tamen Bulla dicat: *pro cuiusque facultate*, largior danda à Principibus, Magistratibus & divitibus, quàm à pauperibus, aut mendicando vel labore manuum victum quærentibus.

*Quæst. 548. Num opera omnia præscripta unâ eadèmq; hebdomadâ aut etiam uno eodèmq; loco peragenda?*

1. **R** Esp. ad primum: Opera omnia unâ eadèmq; hebdomadâ peragenda esse, absolutè affirmant Henriq. l. 7. c. 11. n. 2. Sanctarel. de jubile. c. 7. du. 1. apud Castrop. l. c. p. 12. n. 18. esse id verius & securius tenent Laym. l. c. c. 8. n. 10. de Lugo de pœnit. d. 27. n. 205. Gobat. n. 212. Castrop. l. c. n. 19. quamvis addat, quòd licet hæc sententia in praxi sit tenenda, probabilitate tamen non careat, posse aliqua opera fieri in una, & reliqua in altera, dum v. g. jubileum concessum ad duas hebdomadas; ratio autem, quòd complenda sint in una hebdomada, aut saltem id sit securius, passim assignatur illa, quòd concessio etiam liberalis jure non proficit, nisi observetur forma, & impleatur conditio in ea requisita, Arg. l. 2. §. 3. ff. de donat. forma autem Bullæ jubilei satis discretè videatur requirere completionem omnium operum factam unâ eadèmq; hebdomadâ, dum Papa ait: *Qui ecclesias designatas visitaverint, & feria 4. & 6. & Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, Sanctissima communionem re-fecti fuerint, eleemolynam tribuerint &c.* ad hæc horum verborum, si ambigua essent, optima interpretis sit consuetudo & praxis fidelium, opera illa omnia unâ hebdomadâ peragentium & credentium, se aliàs non lucraturus jubilei indulgentias.

2. Resp. ad secundum: Etsi securius fortè sit omnia opera exequi in uno eodèmq; loco, vel proprii domicilii, vel in alio publicati jubilei, verius tamen est lucraturum jubilei indulgentias, si parte operum v. g. visitatione ecclesiarum in aliquo loco, reliqua impleat in alio, ad quem fortè negotiorum causâ excurrit. Laym. l. c. n. 11. De Lugo n. 124. Gobat. n. 89. ex ea ratione, quòd per præsentiam in loco publicati jubilei quilibet in eo existens, ad eumque veniens jus consequendi plenariam indulgentiam acquirit, eò quòd illa omnibus in eo